

ram. » Et cap. XLIII, 15 : Aperi sunt thesauri, et evolaverunt nebule sicut aves. » Et cap. I, 6, de Simeone pontifice dicitur : « Quasi stella matutina in medio nebule. »

GRADIENS SUPER EXCELSA TERRE. — puta super montes altissimos, et petras rupesque hominibus invias et inaccessas, q. d. Deus omnia terrena, quantumvis celsa et inaccessa, majestate sua pervadit et transcendit, suaque providentia confinet et gubernat, ita ut ventos et turbines ciere, nebulas hostibus suis superbis et impiis offundere, montes transferre, et in valles dejicere possit, q. d. Deus est qui montes, ventos, fulgura, tonitrua, omnesque res sublunares, æque ac cælestes producit, temperat, regit. Unde omnes creature sunt exercitus Dei, qui illi ad nutum obediunt, semperque ei præsto sunt, ut ad ejus nutum ferantur, ejusque inimicos et impios invadant et sternant. Ita S. Hieronymus, Albertus, Clarus et alii. Audi S. Hieronymum : « Prepara te, inquit, in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, sive montes confirmat : ad cujus vocem colorum cardines, et terræ fundamenta quatuntur. Iste est qui creat spiritum. » Quocirca Timæus Pythagoricus Deum vocat « mundum exemplarem. » Sicut enim mundus suo complexu omnia cingit et stringit, sic et Deus. Ipse enim est maxima universalisque natura, ubique præsens, omnia videns audiensque, cuncta continens, nullius vero ambitu contenta. Ipse est mundus increatus sapientie, sanctitatis, intelligentie, vite, rationum, formarum, causa, fons, creator et rector cæterorum omnium. Quocirca Egyptii, ait Eusebius, lib. III De Prepar. Evangel. cap. III, Deum, quem ipsi *Eneph* vocant, pingunt humana forma, colore cæruleo, zonam tenentem et sceptrum, ac pennam gerentem in capite, ovum insuper ab ore producentem. Testa enim ovi, cæli omnia cingentis imaginem exhibet : vitellus, ignis : spiritus qui sunt in ovo, aeris : albumen, aqua : terræ porro symbolum sunt partes magis concretæ. Addit Eusebius aliud Dei hieroglyphi-

cum. Illud est, homo complicatos habens pedes, vestem talarem, eamque auream, pilam capite sustinens, quo mundi forma, immobilis constitutio, rotunditas, et stellarum varietas significatur, eaque omnia regi a Deo sustentantur, et in Dei cognitionem mentes hominum perducere. Nam ex ventis, nebulis, montibus aliisque creatis Deus agnoscitur, quasi ex ungue leo, quasi ex lea Apelles, quasi ex voce choraulis, quasi ex cæmine poeta. Unde S. Augustinus, *epist.* 28, docet mundum hunc esse Dei carmen et canticum. « Si homo, inquit, carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur succedentibus ac decedentibus sonis, pulcherrime currat ac transeat : quanto magis Deus, nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tanquam syllabæ ac verba ad particulas hujus sæculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabili cantico, vel brevius, vel productius quam modulatio præcognita et præfinita deposcit, præterire permittit? » Insuper S. Dionysius, *Cælest. Hierarch.* cap. XV, docet Deum designari per ventum, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celerem insuperabilemque discessum, ac nobilitatem principiorum et finium incognitas et invisibiles latebras. Pari modo, Eusebius, loco citato, docet Egyptios, ut Dei providentiam significarent, pinxisse solem radiis circumfusum in navi, quæ adverso flumine rapiebatur remis velisque incitata, ac deportabatur a subtermente se crocodillo. Sic enim Deus quasi gubernator regit hanc mundi navim, omniaque in eo animalia et inanima, quantumvis fera, horrenda et vasta, edomat ac regit. Rursum Deus princeps temporum est quasi sol, qui, ut ait Lucanus lib. XII :

Tempora dividit avi,
Matat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire velat, cursusque vagos statione moratur.

Denique S. Paulinus, *Natali 9 S. Felicis* :

Est nature opifex Deus omnis et artis, in omni
Fons opere, et finis, faciens boni, factaque servans.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Predicit et plangit Sumarie vastitatem extremam et æternam, intelligendam a Deo terribili, qui facit Arcturum et Orionem, ac subridet vastitatem super robustum, ob ejus scelera, præsertim ob rapinas et oppressiones pauperum. Deinde, vers. 14, hortatur eam ad penitentiam. Nam, vers. 21, assertit se ejus victimas et carceronias æternas non curare, imo detestari (1).

1. Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum : Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat. 2. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquuntur in ea centum : et de qua egrediebantur centum, relinquuntur in ea decem in domo Israel. 4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel : Quærite me, et vivetis. 5. Et nolite querere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis : quia Galgala captiva duceatur, et Bethel erit inutilis. 6. Quærite Dominum, et vivite : ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui exstinguat Bethel. 7. Qui convertitis in absinthium iudicium, et justitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mare tenebras, et diem in noctem mutantem : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen est ejus. 9. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. 10. Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. 11. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo : domos quadro lapide edificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. 12. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. 13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. 14. Quærite bonum, et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. 15. Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta iudicium : si forte miseretur Dominus Deus exercituum reliquitis Joseph. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : in omnibus plateis planctus ; et in cunctis, quæ foris sunt, dicitur : Væ, væ ! et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere. 17. Et in omnibus vineis erit planctus : quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus. 18. Væ desiderantibus diem Domini ! ad quid eam vobis ? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. 19. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et imittatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. 20. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux : et caligo, et non splendor in ea ? 21. Odi et projecti festivitatis vestras : et non capiam odorem cætuum vestrorum. 22. Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, et munera vestra non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respiciam. 23. Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyrae tuæ non audiam. 24. Et revelabitur tibi quasi aqua iudicium, et justitia quasi torrens fortis. 25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel ? 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. 27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus.

(1) Sermo iste tertius continet admixtas adnotationes et explicationes prædicationes.

PRIMO, predicti Sumarie Propheta, primo, ultimum

Israelis exilium, I, 2; secundo, paucitatem reliquiarum

relinquarum, 3.

SECUNDO, hortatur ad respicientiam, si quo modo etiam

1. AUDITE VERBUM ISTUD, QUOD EGO LEVO SUPER VOS (Chaldeus est Septuaginta, assumo contra vos) PLANCTUM. — Est oppositio, q. d. Audite verbum, id est planctum et lamentum, sive lugubre carmen quod ego pango et plango de instante excidio vestro, o civis Samariae. Unde Tigurinaclare veritit: *Audite sermonem istum, o domus Israel, quem de vobis sumo, in lugubre scilicet carmen*; alii: *Audite verbum quod ego levo super vos in planctum et lamentum*. Propheta ergo praevidens suorum cladem, commiserans et ingemiscens edit hoc lugubre carmen, quo publice miseram Samariae sortem jam imminente deplorat. Simile carmen et lamentum de Tyro, ejusque rege et civibus excisis canit Ezechiel cap. xxvii, 2, et de Aegypto ac Pharaone eversis, cap. xxxii, 2, ac de Babylone et Balsasare a Cyro vastatis Isaias cap. xiv, 4, ac de Hierosolyma excidio Jeremias in *Threnis*. Porro lugubre hoc carmen, et quasi epitaphium Samariae est id, quod mox subdit Propheta dicens: « Domus Israel cecidit, » etc.

DOMUS ISRAEL CECIDIT. — Ita et Septuaginta, S. Hieronymus in *Comment.*, Remigius, Lyranus et alii. Licet enim hebraeum בית בֵּית *beth*, id est domus, sit masculinum; נֶפֶשׁ *nephela* vero, id est cecidit, sit femininum, tamen in re et sensu est concordantia: nam per *beth*, id est domum Israel, intelligit *beth eda*, id est synagogam et congregationem populi, quae est feminini generis, et recte concordat cum feminino *nephela*, id est cecidit. Comparat enim hic domum, id est populum Israel, femine, puta virgini afflicte et prostratae: immerito ergo Ma-soretae et Chaldaei Hebraea aliter dispungentes, nimirum ponentes hypocolon post *o domus Israel*, ita legunt: *Audite verbum istud, quod ego levo super vos, planctum domus Israel: Cecidit, et non adficient ut resurgat virgo Israel*. Sed quomodoque dispungat et legas, eodem redit sensus.

CECIDIT, — id est cadet prostrata in terra sua ab Assyriis Samaria, ejusque regnum, adeo ut nunquam resurgat et reflorescat. Decem enim

jam latam sententiam avertire queant, primo, evocans Israelum ad Deum, rem omnium confessorum potentissimum, 4, 6, 8, 9; secundo, evocans eos ad idololatriam, vers. 5, 6.

TERTIO, eandem reddidit, cur excidium regio Israel propter idololatriam sit finitimum, et alia exprobrat crimina, qualia erant, primo, violatio justitiae et contemptus Dei, 7; secundo, aversio a prophetis, meliora consulentibus, 10; tertio, oppressio pauperum et acceptio munerum, 11-13.

QUARTO, repetit adhortationem jam positam ad vitandam malum, et faciendam bonam, maxime in administranda justitia, 14, 15; sed cum ea moribus eorum aliud deprehenat, quatuor de obedientia certa spes concepi possit, rursus perscrutat excidium explicatius, primo, per universitatem tum hominum, tum boverum, 16, 17; secundo, per frustrationem mercedum in vana adhibita, 18-20; tertio, per ultionem divinum sacrificiis haud placabilem, 21-23; quarto, per commensurationem vindictae cum presentibus et praeteritis delictis, 24-26; quinto, per translationem captivitatis, 27.

tribus, quarum fuit hoc regnum, abducte in Assyriam, nunquam inde redierant.

2. VIRGO ISRAEL. — Solent Hebraei urbes et regna, ubi speciem, opes et gloriam vocare *virgines*. Hinc Jerusalem vocatur « virgo filia Sion, » et de Babylone ait Isaias cap. xlvii, 1: « Descende, sode in pulvere, virgo filia Babylon. » Sic Aegyptus vocatur « virgo » et « filia, » Jerem. cap. xlii, 11. Virgo ergo Israel est Samaria, ejusque regnum speciosum et opimum, quod desolatum et vastatum ab Assyriis, simile fuit virgini regiae olim ornata, nunc spoliata, violata, prostrata et conculcata. Secundo, vocatur « virgo, » quia intacta a jugo hostis: nunquam enim antea Samaria ab Assyriis, aliisque gentibus subacta fuerat; sed ejus regnum et respublica instar virginis liberum et illibatam efflorescebat. Ita Rufinus, Clarus et Arias.

Addunt S. Hieronymus et Theodoretus, Samaritiam olim fuisse virginem, id est puram in cultu Dei, cum in suis patribus Deum verum coluit. Sed hoc accipi debet de prisca patribus, qui schisma, quo divisum et erectum est regnum Israel, praecesserunt. Nam cum schismate, adeoque cum regno Israel cepit ejus impietas et idololatria vitulorum aureorum, quos erexit primus Israelis rex Jeroboam.

PROJECTA EST IN TERRAM SUAM. — Hebraice נֶטְסָה *nettesa*, quod Tigurina vertit: *Afflicta est in terram suam*; Vatablus: *Derelicta in terra sua*; Pagninus et alii propria: *Dimissa est in terra sua*, q. d. Cecidit virgo Israel, tamque valido ictu ab Assyriis prostrata est, non qualitercumque, sed usque in inam terram, ut jaceat humi toto corpore prona, plane afflicta, projecta est quasi desperata, ab omnibus derelicta dimissaque, sine ulla ope et spe resurgendi: quia nec ipsa, utpole conquassata et contrafacta, se erigere poterit; nec rex Aegypti, ait Theodoretus, aut quis alius: tanta est ejus clades, adeo altrita, membris luxata, et diffracta est, ut nemo eam sibi restituere possit; perinde ac olla testacea allisa ad petram, dissilit et diffingitur, ut a nullo figulo redintegrari queat. Unde sequitur:

NON EST QUI SUSCITET EAM. — Alludit ad medicos, qui videntes quem ex turri lapsam et omnibus membris contrafactam, ut curari et sibi restitui nequeat, eam ut desperatum humi jacentem dimittunt et derelinquunt. Physice alludit ad virginem, quae si lapsa et corrupta libidine virginitatem amisit, suscitari nequit, ut decus virginitatis recuperet. Unde S. Hieronymus ad Eustochium, *De Custodia virginitatis*: « Cave, inquit, queso, nequendo de te dicat Deus: Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam. Audire loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare corruptam. » Rufinus *in suam*, auget cladem et movet commiserationem, q. d. Projecta est, et afflicta in terra, non

aliena et hostili, quod minus mirum et miserandum est; sed in sua, quam unice amabat, et a qua vicissim quasi a matre et nutrice amabatur et alebatur: sicuti res miseranda est, si filia occidatur in sinu matris.

3. URBS DE QUA EGREDIEBANT MILLE, RELINQUENTUR IN EA CENTUM. — q. d. Tot cladibus afflictiore Israelitae ab Assyriis, tum in obsidione triennali Samariae, IV Regum, cap. xviii, 10; tum ante et post eam, ut gladio, fame et peste plerique omnes absumantur, ita ut mille redigantur ad centum, er centum ad decem, adeoque ex tanto Israelitarum numero vix decimus quisque tante stragi superstes sit. Ita Remigius, Hugo, Arias et alii. Idem Judae comminatur Isaias, cap. vi, 14: « Et dixi, ait: Usquequo, Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatoribus, et domus sine homine, etc. Et adhuc in ea declinatio, et convertetur, » id est rursus erit in depraedationem et ostensionem, ut ibidem explicat S. Hieronymus.

Tropologice ex Origene, homil. 8 in *Josue*, Ribera: Urbs, ait, est ejusque anima, quae edificatur a Domino ex lapidibus vivis, id est ex virtutibus variis, de qua quisque sanctus pugnando ejicit peccatores, id est cogitationes et cupiditates pravas: ac contra eas sanctificat bellum, hoc est, his sancto sui odio mortificatis, sanctum se efficit corpore et spiritus: ut mereatur venire in conspectum Dei vivitatis, et pro palma victoriae virtutis merito componari a Christo. Egrediebantur olim ex anima haec fervida, quae Deo adhaerebat, mille, id est omnia virtutum opera, quasi milites strenui cum diabolo et vitis pugnantur: at postea cum cupiditate rerum terrenarum capti, fervorem hunc remittit, profert centum, numerum decepto minorem; et si prius centum educerat, decem in ea relinquitur: quia haec remissio et declinatio animae, non unius alienus, sed omnium virtutum opera minuit, et omnibus modis efficit imperfectiora, idque sensum magis et magis, ut tandem plane ab eis cesset, totaque a demone et vitis opprimatur et possideatur, itaque in extremam ruinam et interitum abeat.

IN DOMO ISRAEL. — *Domum* vocat familiam, id est rempublicam et Synagogam Israel, in qua molles erant urbes, oppida et pagi.

4. QUIA HEC DICIT DOMINUS etc. : QUERITE ME, ET VIVETIS. — Quia ponitur pro igitur, q. d. Hoc quod jam dictum est, accidit domui Israel propter idololatriam: agile igitur poenitentiam, relinquit idola, et quaerite Dominum. Nam hebraeum יְרֵכָה *irika*, id est quia, ponitur pro igitur, quocirca, vel *veniamur*: ki enim Hebraei saepe tantum est initium et exordium orationis. Post minus enim Deus his invitat Israelam ad poenitentiam, ut minus territus respiciat. Paulo aliter Vatablus: nam pro *quia*, vertit, sic enim dixit Dominus (quaesite me) volens scilicet revocare ad idololatriam, propter quam multa mala illi eventura

erant, nisi respiceret et quaereret Dominum. 5. NOLITE QUERERE BETHEL, — ut colatis vitulos aureos, quos in Bethel crexit Jeroboam.

ET IN BERSABEE NON TRANSIBITIS. — « Bersabee » urbs erat ultra Terra sanctae, ejusque terminus ad meridiem, sicut Dan erat ejusdem terminus ad septentrionem (unde de tota terra sancta dicitur: « A Dan usque ad Bersabee »); ita dicta a juramento (unde ibidem juxta puteum Abraham inquit cum Abimelech, dando ei septem agnas: « Bersabee » ergo idem est quod puteus saba per sui juramentum, per sui septem significat. « Bersabee » ergo idem est quod puteus juramenti, vel puteus septem, scilicet agrarum. Vide dicta *Genes*, xxi, 31.

Pertinebat haec urbs ad tribum Simeonis, sed quia Simeonis sors erat exigua, eaque infra sortem tribus Judae continebatur, hinc *Josue*, cap. xv, 28, Bersabee ponitur inter urbes Juda. Hic multo tempore habitavit Abraham, Isaac et Jacob: unde et vocatur oppidum Isaac. Tempore S. Hieronymi erat vicus grandis, in eoque erat presidium Romanorum, et Vicus salutaris vocabatur: nunc Gibellina nuncupatur. Ita Adrichomius in *Descript. Terra sanctae*. Porro in Bersabee posita erant idola, aequae ac in Bethel et Gulgalis, ut patet IV Reg. cap. xxiii, 8. Unde jubet hic Propheta ne eo transant, ad colenda scilicet idola. Quia enim Abraham in Bersabee oratoriam Deo staturat, in quo eum invocaverat, *Genes*, cap. xxi, 33, hinc posteri ejus ibidem altare staturerunt, at non Deo, sed suis idolis. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii. Unus Arias aliter explicat, q. d. Ne colatis idola in Bethel et Gulgalis: ita fiet, ut non abducimini in captivitatem, nec per Bersabee transitis in Assyriam. Verum sic potius dixisset: *Et in Dan non transibitis*. Nam per Dan, utpole aquilonarem, ibatur in Assyriam; per Bersabee vero, utpole meridionalem, ibatur in Aegyptum.

QUIA GULGALA CAPTIVA DUCETUR. — « Gulgala » erat civitas duarum tribuum, puta sortis Juda; sed vicina decem tribubus, et cum his excisis. In Hebraeo est elegans agnominatio: *Gulgali gulo rigale*, id est volubilitas volendo voleverit, vel rota rotando rotabitur, vel migratio migrando migrabit; *Gulgali* enim dicitur אֲרָלָה *arala*, id est volvit, devolvit, migravit. Unde Tigurina vertit: *Gulgali transmigrans transmigrabit*; Pagninus: *Gulgali demigrando demigrabit*.

ET BETHEL ERIT INTULUS. — Septuaginta et Syrus: *Bethel erit quasi non sit*; Hebraeus: *Bethel erit in Aven*, q. d. *Bethel* fit *Bethaven*, id est domus fortis fiet domus vanitatis, inanitatis (*inanis* et *vacua*, ut vertit Arabicus) et nihili, vel domus Dei fiet domus iniquitatis, et doloris *betusque*.

Tropologice, per peccatum anima quo erat Bethel, id est domus et templum Dei, fit Bethaven, id est domus scelerum et diaboli. Rursus domus celi fiet domus gehennae, ut in ea ardeat in

eternum. Hoc videt et sentit anima peccatrix in hora mortis, quando opes, honores et deliciae, quibus illa Deum offendit, vertentur ei in nauseam, opprobrium, miseriam, et tormentum aeternum.

6. QUERITE DOMINUM, ET VIVITE, — id est, et vivetis, vel ut vivatis. Ita Vatablus et Pagninus.

NE FORTE CONBRURAT (id est ardeat et deflagret) UT IGNIS DOMUS JOSEPH, ET DEVORABIT (vicina), ET NON ERIT QUI EXTINGUAT BETHEL, — hoc est, ignem immisissum a Deo in Bethel, ut patet ex Hebraeo et Graeco. Pagninus et Vatablus vertunt: *Ne forte deflagrat ut ignis domum Joseph*: diffundat, inquit Vatablus, id est consumpat et disperdat. Ignis enim validissima quaeque perumpit et consumit. Per Joseph intelligit Ephraim, qui fuit filius Joseph; per Ephraim autem intelligit decem tribus: quia Jeroboam primus earum rex, et regni conditor, fuit ex tribu Ephraim. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo et Vatablus. Israel ergo nunc vocatur Ephraim, nunc Joseph, nunc Jacob, nunc Samaria.

7. QUI CONVERTITIS IN ABSINTHII JUDICIUM. — Coherens haec cum initio versus praecedentis, q. d. Querite Dominum vos, o Israelite, qui ab eo aversi convertitis iudicium, ejusque suavitatem et dulcedinem in absinthii amaritudinem. Ita Rupertus. Aliter Vatablus; connecti enim haec cum verbo *devorabit*, q. d. Ignis hic devorabit vos qui convertitis iudicium in absinthium. Jam « iudicium » primo, accipe proprie dictum. Saepe enim Propheta culpant Israel, quod perverteret iudicium adjudicando causam nocentibus, utpote amicis, vel divitibus et dantibus munera; atque innocentes, quia pauperes vel inimici, condemnando, quibus proinde aequitas et consolatio, quam querebant ex iudicio, vertebatur in amaritudinem injustitiae et condemnationis, quae illis acerba et amara erat instar absinthii. Ita Rupertus, Hugo et Lyranus. Unde explicando subdit Amos: « *Justitiam in terra relinquitis*; » Tigurina: *Justitiam in terra affligitis*; Vatablus: *In terra iaces et scilicet*.

Secundo, S. Hieronymus, « iudicium » generatim accipit pro justitia et sanctitate, puta pro debito et officio virtutis, quod quisque Deo et proximo prestare debet. Sic saepe Psaltes, *Psal. cxviii*, ait se fecisse iudicium, id est quod aequum est, debitum et gratum Deo, q. d. Vos qui convertitis virtutem in vitium, justam et sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaque quasi absinthio potatis Deum. Hinc peccata in Scriptura vocantur *amaritudines*, quia amarificant, exacerbant, offendunt et ad iram concitant Deum. Ita ait Osee cap. xii, 14: « *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis*. » Rursum peccatum per catachresin vocatur, fel, toxicum, absinthium: primo, quia animam vellit, laedit, occidit; secundo, quia qui peccat, Deo quasi fel propinat; tertio, quia modicum mel et

voluptas peccati aeternum fel et dolores amarissimos peccatori accersit. Hinc ait Moses *Deuter. cap. xxxii, 32*: « *Uva eorum una felix, et botri amarissimi. Felle draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile*. » Et S. Petrus ad Simonem Magum, *Act. cap. viii, 23*: « *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse*. »

Huc pertinet expositio Arie, qui per iudicium accipit legem Dei. Haec enim *Psal. cxviii*, et alibi saepe vocatur *iudicium*, quia secundum eam iudicandum est quid sit bonum, quid malum, q. d. Vos legem Dei, quae suavior est melle et fave, *Psal. xviii, 41*, ob vestras pravas concupiscentias et consuetudines, abominamini; quia aestimatis eam amarum ut absinthium, illamque ut talem apud alios depingitis et traducitis, itaque eos ab illa ad scelera vestra abducitis.

Tertio, Septuaginta haec referunt ad Deum; sic enim vertunt: *Querite Dominum, et vivite, etc., qui facit in caelo iudicium, et iustitiam in terra posuit*, q. d. Querite Deum, timentes iustum aequae ac rigidum ejus, utpote acerrimi vindicis, iudicium. Et Arabicus: *Dominus faciens iudicium in altissimis, et ipse est qui fundavit iustitiam in terra, et operatur omne, et parat illud*.

ET JUSTITIAM IN TERRA RELINQUITIS. — *Justitia* idem est quod *iudicium*, de quo jam dixi: Hebraei enim versus posteriore explicant priora. Aliter S. Hieronymus, Lyranus et Ribera. Hi enim per *justitiam* accipiunt Deum, qui est iustitiae essentialis et increata, q. d. Vos adoratis injusta et sordida idola; relinquitis vero, imo in terra quasi jacentem contemnitis et conculecatis ipsam justitiam, id est Deum justissimum et omnipotentem, utpote « facientem Arcturum et Orionem » etc.; unde et Chaldaeus vertit: *Desierunt timere faciem Domini, qui facit Arcturum, etc.* Sed prior sensus, uti simplicior et communior, ista germanior est.

8. FACIENTEM ARCTURUM. — Ribera ex Romigio haec connectit cum verbo *relinquitis*: illud enim hic repetit, q. d. Relinquitis justitiam, quoniam et ipsum Deum facientem Arcturum. Unde Syrus vertit: *Dereliquerunt illum qui facit Arcturum et Orionem*. Rursum plane haec referas ad vers. 6: « *Querite Dominum*, » q. d. Querite Deum creatorem, gubernatorem, iudicem et vindicem, aequae ac reaneratorum omnium, utpote qui facit Arcturum Orionem, etc., caetera enim hic intermedia, quae per parenthesis interjiciuntur. Sensus est, q. d. Querite Deum, non idola: solus enim Deus creat gubernat, iudicat, vindicat, praemiat universae non idola; unde Septuaginta vertunt: *Qui fac omnia et transformat*. Ita S. Hieronymus, Vatablus et Lyranus. Quocirca si illum quaejerit, vivet etiam in mediis periculis et hostibus, securi et incolomes: ille enim potens est dare suis vitam salutem et omne bonum: sia autem, moriamini

etab hoste Assyrio excindemini; Deus enim immittit ignem in domum Joseph, ut dixi versu 6; ipse enim facit Arcturum, Orionem, caelum et terram, et omnia quae in eis sunt et fiunt.

ARCTURUM. — Ita Hebraeus כִּכְרִי *kikari* Arcturum vertunt Septuaginta, *Job. cap. ix, 9*, Pagninus, Vatablus, Arias hic. Secundo, Symmachus et Theodotion vertunt, *Pléiadas*, sive *Vergilias*, quae sunt septem stelle in cauda Arietis, aut potius in Tauro; et ita vertit Noster, *Job. cap. xxxviii, 31*. Tertio, Tigurina vertit, *Cynosuram*, id est ursam minorem. Quarto, Arabicus et alii vertunt, *suavis*, quae sunt in capite Tauri, et a Graecis vocatur Hyade ab ἡώς, id est *pluere*, eo quod pluvias concitent. Alii aliter vertunt: Hebraei enim nomina arborum, animalium, stellarum plures earum species significant. Porro Arcturus est ura minor Arctum, ideoque circa eas volvitur axis caeli, nobisque semper apparent et nunquam occidunt, inquit Albertus. Verius Arcturus est stella ingens in sidere Boote, sive bubulei post caudam majoris ursae, indeque vocatur Arcturus, q. d. Ursae cauda: *ἀρκυρ* enim est ura, *ἀρκυρ* cauda. Oritur Arcturus die 8 septembris, ait Columella lib. II, cap. iv, suoque ortu, aequae ac occasu, grandines et procellas ingentes concitat, ait Plinius, lib. II, cap. xxxix. Unde Virgilius, I *Aeneid.*:

Unde imber, et ignes,
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones.

Et Horatius, lib. III *Carm.*:

Stella taicans radiis Arcturus nomine clero.

Et Cicero, lib. II *De Natura deorum*, ait eam sitam subter praecordia Bootis, qui et Arctophylax, id est custos ursae dicitur, quia eam sequitur quasi custos. Unde Cicero *ibid.*:

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adjunctum praesequitur Arctum.

Et Ovidius, III *Fastor.*:

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes.

Horum omnium situs clare patet inspicentis globum astronomicum: in eo pingitur Arcturus ut clara stella inter femora Bootis, sive Arctophylaxis, qui sequitur ursam majorem, sive plaus-trum, ut vulgus vocat, eo quod septem ejus stellae formam plastrum vel currus exhibeant. Porro Arcturus acer est et vehemens in ciendis procellis, Unde Plautus in *Budent.*:

Arcturus signum sum omnium quoniam acerrimum:
Vehemens sum exoriens, occidens vehementior.

Quocirca Plinius vim ordinariam majorem et quasi divinam in concitandis tempestatibus in Arcturo agnoscit, lib. XVIII, cap. xxviii. Et hoc ianuit hic Propheta dicens: Deus est « qui facit Arcturum, » hoc est, qui vim tantam jaculandi nim-

hos, grandines, fulgetra ei indit, quantum quotannis cernimus et experimus. Jampridem enim Deus fecit, id est creavit, Arcturum, pati ab origine mundi: quare Propheta cum ait hic, « facientem Arcturum, » in presenti, non videtur de preterita ejus creatione loqui.

ER ORIONEM. — Sic et Syrus et alii veterum. Arabicus vero vertit, *Geminus*. Orion sidus est meridionale ante taurum constans 28 stellis, et pingitur in globo astronomico quasi vir pede insistens lepori, inter Hyades et Syrium, sive canem majorem. Dicitur est graeco Orion. *ἰν* ἡ *ἰν* ἰν *ἰν*, id est turbare, eo quod ejus ortu oritur pariter hiems, et quia oriens nimis et procellis aequae terramque turbat. Inde Hebraei dicitur *kesil*, id est inconstans, eo quod inconstans sit in mendo, et inconstantiam aure, puta serenitatis et tempestatis adducat: nascitur nono mense, puta novembri, qui inde Hebraei dicitur *kesil*. In novembri enim magna est caeli inconstantia et interperies, quam significat et inducit *kesil*, id est Orion. Unde Virgilius, I *Aeneid.*:

Cum subito surgens ducta nimibosa Orion.

Hinc Poeta fabulati sunt Orionem vel Urionem filium esse Neptuni, itaque dictum ab urina Jovis. Plautus Jugularum vocat, quod sit quasi armatorum gladius, stellarum fulgore (unde Noster, *Isaie* cap. xiii, 10, Hebraeus *kesil* vertit, *splendor*) terribilis. Idcirco ab Ovidio, lib. IV *Fastor.*, Orion vocatur *ensifer*. Hic si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. Quocirca Horatius, lib. I *Carm.*:

Notas, inquit, dexevi rapidus comes Orionis.

Devexum vocat, quia in dexeva caeli parte, id est in occasu positus: comitem vero ejus Notum facit, quia tempestatem et ventos saepe cum fert Orion.

Sub Arcturo et Orione per synecdochen, reliquas stellas et astra omnia accipit. Unde Symmachus pro *Orione* vertit, *stellas*; Theodotion, *vesperum*, qui secum stellas omnes abducit, ut idem hic dicitur quod *Psal. cxlvi, 4*: « *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*. » Quomobrem Septuaginta hic vertunt: *Omnia faciens et fabricans*.

Quaeres, cur haec duo astra praeter ceteris nominet Propheta? Respondet primo S. Hieronymus, quia haec duo sunt celeberrima et nobis notiora; secundo, quia grandines, procellae, etc., ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, Orione et Iliadis, ait Plinius lib. XVIII, cap. xxviii. Haec ergo sidera cientia tempestates, ira Dei sunt symbola: iram autem et vindictam hic Israelitis minatur Deus; ita Ribera et Pineda in *Job. cap. ix, 9*: quae sane ratio huic loco valde congruit; tertio, quia Orion praecipuum est sidus meridionale, Arcturus praecipuum septentrionale: sub his ergo duobus omnia, puta tam meridionalia quam septentrionalia comprehendit.

Addunt aliqui hęc duo iuvare ad producendos flores et fructus vernos. Unde Job. xxxviii, 31, pro eo quod nos legimus: *Nunquid conjungere vultis micantes stellas Pleiadas* (hebr. *kima*) *aut gyrum Arcturi* (hebr. *hesil*) *poteris dissipare?* Sic transfert Pagninus: *Nunquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos Vergiliorum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies?* Et Tigurina: *Num prohibebis delicatas Pleiadam, aut contractiones Orionis operis?*

Quarto, Christophorus a Castro: Videntur, inquit, posse his duobus præcipuis sideribus æstatis et hiemis significari quatuor anni tempora: nam ver æstati adjungitur, hiemi autumnus, q. d. Qui facit quatuor anni tempora; sicut mox adjicit: « Qui facit noctem et hiemem. » Qui enim adeo facile tempora commutat ex ortu siderum, etque facile et periculis eruet, et sortes infestas in felices fastuosque commutabit, et captivitatem instantem avertet.

Tropologie S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. vi: « Arcturus, inquit, semper versatur, et nunquam mergitur; sic et Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur: quia tunc S. Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Quid post Arcturum per Orionem, nisi martyres designantur? Ex Orionibus igitur hiems inhorrat, quia, clarescente sancto- rum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem se persecutionis excitavit. Orionas ergo cœlum edidit, cum S. Ecclesia martyres misit. Qui dum loqui rudibus recta ausi sunt, omne pondus ex frigoris adversitate pertulerunt. » Subdit deinde: Post Orionem sequuntur Hyades, id est doctores, qui post martyres doctrinam suam pluvia rigarunt Ecclesiam: nam post tria sæcula martyrum, sub Constantino cepit quartum sæculum doctorum.

CONVERTENTEM IN MANE TENEBRAS, — q. d. Qui tenebras noctis convertit in mane et lucem aurore, quæ noctem convertit in diem, ac vicissim diem in noctem mutat. Unde Pagninus vertit: *Est qui convertit in mane umbram mortis, et diem in noctem tenebre facit;* Tigurina: *Qui tenebras mortis, id est mortiferas, convertit in lucem matutinam, et diem nocte obtenebrat.* Nota: Tenebræ noctis hebraice vocantur *לילה* *lilmavet*, id est umbra mortis, hoc est maxime et densissime, æque ac horribiles, uti est umbra mortis, in sepulchris et in inferno. Syrus: *Convertit in mane umbras mortis, id est umbras tristissimas, et tenebras densissimas.*

Porro hæc umbra et tenebræ symbolice denotant ingentia pericula, ait Theodoretus, clades et ærumnas, q. d. Deus consolationem in desolationem, risum in luctum, prospera in adversa, securitatem in timores, plausum in plancum commutat, et, *versâ* desolationem in consola-

tionem, etc., prout ei liberit, et prout merentur vel demerentur homines. Ita Chærenon abbas apud Cassianum, *Collat.* XII, cap. xi, hunc Amos locum explicat de mira mutatione cordium, quam facit sua gratia potens, æque ac misericors Deus. « Quis, inquit, plane non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu: Quia ego cognovi quod magnus est Dominus; cum se vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexit, et egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfuerentem? Ista sunt prodigia quæ posuit Deus super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens: Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ: arcem conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. Quod enim majus potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequerentur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei quæ se quotidie una cum Patre operari Filius protestatur, dicens: Pater meus usque modo operatur, et ego operor, *Joan.* v. De istis operibus B. David in spiritu canens: Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, *Psal.* lxxi. De istis et Amos propheta: Qui facit, inquit, omnia, et convertit ea, et transmutat in matutinum umbram mortis. Hæc nempe est mutatio dextere Excelsi. »

Rursum Cassianus, *Collat.* XV, cap. xviii, hæc mutationes mentium miraculis præfert, dicens: « Et revera majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere ferumundus spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentis motus iracundiæ cohibere, quam aeris potentibus imperare: plusque est exclusivæ edecessimo de corde proprio tristitia morbos, quam valetudines alienis febresque corporales expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ proprie curare languores, quam corporis alieni. » Causam dat: « Quanto enim hæc sublimior carnis est, tanto præstantior ejus est salus; quantoque præfiosior excellenriorisque est substantia, tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ? » Notat hoc qui in animabus convertendis desudant: sciunt se tot miracula patrare quot animas convertunt, imo quot vitia extirpant; etque non corporalia et transitoria, sed spiritualia et in omne ævum in cœlis ad perenne trophæum mansura.

QUI VOCAT AQUAS MARIS (q. d. Qui calore solis evocat et attollit in ærem vapores ex aquis maris, eosque resolvit in pluviam; itaque) EFFUNDIT EAS (aquis) SUPER FACIEM TERRE: DOMINUS NOMEN EST

EJUS. — Pro Dominus hebraice est *Jehova*, id est qui est, vel *eh*, qui est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerum omnium, puta qui est plenitudo, universitas et complexus entis, essentia et existentia; qui est Oceanus essendi, et immensum pelagus existendi. Suspicatur Sanchez, Amos, utpote rusticum, alludere ad rusticorum opinionem, licet falsam, quæ censet Iridem hibernæ et haurire aquas e mari, de qua Rhodiginus, lib. XII, cap. xxxix.

Tropologie: « S. Paulus, ait S. Hieronymus, quasi turbo violentus, et sæva tempestas, et tumens maris gurges persequabatur et opprimeret nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus a Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut predicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum, etc., ut usque ad Hispanias tenderet, et a mari Rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, et solem, de quo legimus: A summo cœlo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus; ut ante eum deficeret terra, quam studium predicandi. »

QUI SUBRIDIT VASTITATEM SUPER ROBUSTEM. — Hebraice כַּבְּרִי *kabry*, quod primo Septuaginta vertunt: *Qui dicit: Contributionem super fortitudinem*, id est qui variis contributionibus quasi divinis et dissectis jaculatur in fortes et potentes, ut eos sternat; quique, ut explicat Theodoretus, facile infirmos corroboret, et robustos infirmat et conterit; secundo, Chaldaeus, Vabalus et Arias: *Qui fortificat debiles, eosque facit prævalere robustis et fortibus;* tertio, Lyranus: *Qui contemnit vastationem a robusto factam, et depopulationem*, id est populi stragem, et abductionem e regno potenti facit; quarto, Pagninus: *Qui roborat vastatorem super populum robustum;* quinto, Tigurina: *Qui contorquet vastatorem super fortem;* sexto, Arabicus: *Excilians humilem super fortem, et infirmum super magnificentem se;* et Syrus: *Qui proficit valem (abjectum) forti, et humilem super excelsum (elevatum) elevat.* Hæc omnes interpretationes eodem tendunt, scilicet significant Deum esse qui dat robur et victoriam cui vult, ac sæpe infirmos roborat, ut prævaleant fortibus. Sic tropologie ait S. Hieronymus: « Fortitudo corporis imbecillitas animæ est; rursum animæ fortitudo imbecillitas corporis est. »

Noster eodem fere sensu, sed nervosius magisque proprie, cum Aquila vertit: « Qui subridet, » id est, subridendo comminatur et immittit vastitatem. Ira enim magnitudo subinde subridendo ostenditur, aut potius ab heroibus per risum dissimulatur, uti patet ex illo Virgilii, *Æneid.* X.

Ad quem subridens mixta Mezentis ira:
Ne: morere.

Ita Deus omnem humanam potentiam sibi adversam subridit, id est subridendo despiciet, deridet et sternit. Risu ergo ostendit eam minorem esse

sua ira, et indignam cui succenset et irascatur: uti leo canes, lupos, ursos non dignatur sua ira: sed si ei obstant, quasi ledens et ridens eos deridet. Sic Deus Indens in orbem terrarum, deridet fastum homuncionem, et subridens marit impios, eum per homines debiles et infirmos, resque viles eos contundit, ut Pharaonem contudit per ranas, locustas, cinipides et muscas. Ille est ludus, hic risus Dei omnipotentis. Hinc a Castro ita explicat: « Qui subridet, » etc., id est qui solet quasi per risum extimulare debilem quemque in robustissimum, ut eum devastet. Et Mariana: Deus, ait, « subridet, » id est videtur ludare in nostris malis. Et Emmanuel: « Subridet, » id est ridendo, vel deridendo facile immittit vastitatem. » Sic de struthione ait Job cap. xxxix, 13: « Deridet equum et ascensorem ejus. » Et de Leviathan, cap. xli, 20: « Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridit vibramentum hastam. » Et Psaltes de Deo ait, *Psal.* ii, 4: « Qui habitat in cœlis iridebit eos. » Et *Psal.* xxxvi, 13: « Dominus autem iridebit eum. » Et *Prov.* cap. i, 26: « Ego quoque in interitu vestro ridebo. » Pulchre vero Sapiens, cap. xii, 23, cum dixisset impios Chanaanum impie et insipienter instat infantum insensatorum vixisse, subdit: « Propter hoc tantum pueris insensatis judicium in derisum dedisti, » q. d. Valut puerilibus et ridiculis pœnis (puta per vespas et crabrones) eos quasi pueros, graviter tamen et acriter punivisti: ubi in Greco pulchra est peronomasia inter *κακός* et *κακωτός*, q. d. Ridiculos ridicule irrisisti; pueros puniuntur lusisti et castigasti. Hoc est quod ait Claudius, *In Eutrop.*: « Subrisit crudele pater. » Sic felix subridet murem quem cepit, id est subridens devorat: nam antequam devoraret, eum eo quasi ridens gesticulatur et ludit. Sic est risus sardonius, risus equinus, risus caninus: equi enim et canes dum riangit et mordere parant, dentes nudant quasi ridentes. Sic Jupiter, inquit Hesiodus, iratus Promethæo, quod ignem e cœlo furatum in terram detulisset, risit risum subamarulentum. Dioscorides, lib. VI, inter venena prodidit herbam, quæ latine *ranunculus*, greco *βουβωνιον* dicitur, et a regione in qua copiosius provenit, Sardoia, vel Sardoniam nuncupatur, si poterit, vel comedatur, mentem adimere, labisque convulsis risus speciem præbere. Atque ille proverbium de Sardonio risu, Strabo, lib. XI *Geographico*, scribit in Cambysæ, quæ flumen Alazonium accollit, araneum genus quoddam rasi, quod alios ridendo cogit emori, alios flendo, desidendo suorum. Cum et Aristoteles, lib. III *De Partibus animalium*, ait, ictu etiam trajecta præcordia in prælis, risum attulisse subitide, idque accidere calore quem movet vulnus. Jam vero « Ridere de hoste risus est suavisimus, » ait Sophocles in tragedia cui titulus: *Ajax Pyrrhæus*. Hæc loquitur non tantum Deus, sed et justus dum videt vindictam peccatorum.

Subridens
signum
ira
den-
picalis
diversa-
tum.

Porro hebraeorum כבלי *mabily* significare qui subridet, patet ex Aquila, qui vertit *subridens*, id est subridens; et ex S. Hieronymo, dum ait: « Proprie *subridens* dicitur, quod nos subrisionem possumus appellare, quando quis irascitur, et apertis paululum labiis subridere se simulat, ut irae ostendat magnitudinem. » Idem in caput Jerem. viii, 18; Hebraeorum ait: כבלי *mabily* est *subridens*, quod nos interpretari possumus rictum oris dolore contracti, et habentis risus similitudinem, qualis est risus caninus et sardonius. » Jam quis non videt magis credendum Aquilae et S. Hieronymo, quam moderni indoctis et infidelibus Rabbiniis?

10. 40. OMNIO HABERUNT CORRIPIENTER (Prophetam) IN PORTA. — Prophete enim praedicabant in publicis plateis, et magis in portis, tum ob confusum hominum, tum quia in portis sedebant iudices, procuratores et advocati iniqui, pervertentes iudicia et causas pauperum, quos redarguebat Amos aliique Prophetae. Iudaei enim sua tribunalia et iudicia exercebant in portis, quia ad eos libere et facile convenire et confluere poterant, tam alienigenae, quam indigenae, tam coloni quam cives. Ita sanxit Moses *Deuteronomio*. cap. xxi, 19: « Ducent, inquit, reum ad seniores civitatis et ad portam iudicii. » Ita in portis prophetavit et praedicavit Jeremias, cap. xvii, 17, et Esdras, lib. II, cap. viii, 2. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, Vatablus et alii passim. In portis ergo erat quasi forum, tum civile rerum venalium, tum iudiciale causarum forensium. Unde Tigurina vertit, in foro. Audi S. Gregorium, XXI *Moral.* xv: « Mos apud veteres fuit, ut ad portam sederent seniores, qui certantium iurgia iudicialia examinatione discernent; quatenus urbem in qua concorditer oportet vivere discordes minime intrarent. Unde et per Prophetam dicitur: Constituite in porta iudicium. » Quocirca subdit portam subinde capi pro iudicio quod exercebatur in porta, ut cum Job ait: « Cum viderem me in porta superiore: » in porta, id est in iudicio.

LOQUENTEM PERFECTE ABOMINATI SUNT. — « Perfekte, » id est perfectum et sanctum sermonem, ut vertunt Septuaginta et Symmachus, ad immaculatum, ut vertit Theodotus; Tigurina, loquentem integram. Est perit' r'isus Prophetae.

11. DIRIPERITIS PAUPEREM. — Septuaginta: *Pugno percutibatis pauperem*; alii, *spreveritis, confutistis et puerum affecistis*; Pagninus, *onerastis pauperem*; proprie Tigurina, *conculcatis tenuem*, ut scilicet diriperetis et spoliaretis. Hebraeorum enim כבס *bos* potest deduci a radice כבס *bos*, id est confundere, pollicere; et a radice כבס *bos* per *sa-mech*, id est spernere, calcare, conculcare, poluere, inquinare, diripere. Porro *bos* vicinum est alludicium ad כב *baz*, id est spoliaré, praedari, diripere.

ET PREDAM ELECTAM. — Septuaginta, *munera electa*, q. d. Iudices aliique potentes extorquebant a pauperibus dona, non vulgaria, sed selecta et

preliosa. Clarius, Pagninus, Vatablus, Arias et R. David vertunt: *Et omnis frumentum ob eo accepistis, puta vi aut dolo extorsistis; onus intellige equi, vel hominis, quantum scilicet equus vel homo bojalum portare potest. Hebraeorum enim כב bar, et electum et frumentum significat. Hinc iustum et congruum ejus poenam subjungit dicens:*

DOROS QUADRO LAPIDE EDIFICABITIS, ET NON HABITABITIS IN EIS: VINEAS PLANTABITIS AMANTISSIMAS, ET NON BIBETIS VINUM EARUM. — Iusta enim vindicta est, ut qui rapuit aliena, perdat sua. Equum est ut qui ex rapina domos et vineas comparat vel acquirit, eas non possideat, iis non gaudeat, earum usu et gustu non fruatur, ut saepe raptoribus et injustis justo Dei iudicio accidere videmus.

12. QUIA COGNОВI MULTA SCLEERA VESTRA, ET FORTIA PECCATA VESTRA. — « Fortia, » id est graviora, grandia, crudelia, adeo ut meam elementarem vincant, ligent et quasi obruant, illique iustam vindictam et flagellum e manu extorqueant.

HOSTES VESTRI (id est iustorum, supple cratis: Tigurina, *constringentes*; Vatablus, *affligentes iustum*) ACCIPIENTES MUNUS (ut reum nocentem ob munera absolveretis, et innocentem impotentem ad ea dandum condemnaretis. *Pro munus*, Septuaginta, Symmachus et Theodotus vertunt, *ἐπιτάξεις*, id est *commutationes*). Porro *ἐπιτάξεις* iuxta idioma Scripturae pretium dicitur, ait S. Hieronymus. ET PAUPERES DEPRIMENTIS (Septuaginta, *declinantes*; Symmachus, *opprimentes*) IN PORTA, — id est in iudicio quod fiebat in portis.

13. IDEO PRUDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT, QUI TEMPER MALUM EST. — Tigurina: *Vir prudens hoc tempore silere cogitur; quia, loquentem periculosum est, q. d. Propter injustitiam iudicium et imprudentiam hominum hujus temporis odientium veritatem, tacent tum ipsi oppressi, feruntque in silentio suas injurias et rapinas; ne si clamant aut conquirentur, gravius affligantur, inquit Arias; tum Prophetae: irrident enim eorum minime et monita, nec illa monito cederet ad emendationem, sed ad incrementum rapinarum et peccatorum (1). Ita Remigius, Albertus, Lyranus et Vatablus. Ita Venerabilis Beda, lib. III *Hist. Anglie*. cap. xix, narrat S. Fursem raptum ad tribunal Christi, accusatum a demonibus, inter alia dicentibus: « Scriptum est: Nisi annuntiaveris iniqui iniquitatem suam, sanguinem ejus*

(1) Juxta Hesselbergum, is est sensus: « Qui prudens est more hominum, tacet hinc temporibus, sed Propheta debet loqui. » Sed, rectius observat Maurer, tacere hic non solum est non reprehendere sceleratos; et statutum ab Hesselbergo preterea oppositionem inter hominem et vulgo et Prophetam, temere illatum esse in verbis. Latius patet tacere, significatque quietum se tenere, se non immiscere rebus publicis aut aliorum quibuscumque privatis, eas nulla ex parte attingere, quod tum faciunt cives prudentiores, cum inopia est aut neglecto legum. Nihil igitur nisi maxima istius temporis pravitas et summa rerum perturbatio exprimitur hemistichio priori, quod ipsum nullis verbis declarat hemistichium posterius.

requirant de manu tua. Ne non annuntiavit digne peccantibus penitentiam; » verum angelum sanctum pro eo respondisse: « De hoc tempore scriptum est: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est; quando enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris praepeditur, dum videt quod audita praedictio despiciatur. » Subdit Beda: « In omni contradictione demonum praevallida nimis exstitit pugna, donec, iudice Domino, triumphantibus ejus angelis, contritis devictisque adversariis, immensa claritate vir sanctus circumfusus est, sanctorum angelorum choris circumstantibus: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria aeternitatis acquiritur. »

Secundo, magisque apposite S. Hieronymus et Theodoretus, q. d. Idcirco, scilicet ob tot rapinas et scelera quae jam recensui, prudens in tempore illo captivitas Assyriacae, videns Israelitas adeo horrenda a Deo puniri, non conqueretur, quia tempus malum est, quo scilicet Deus decrevit impios plectre et perdere; sed tacebit, probans et laudans justum Dei iudicium, et impiorum supplicium; de hoc enim agit, ut patet ex praecedentibus. Nam alioqui Amos aliique Prophetae non tacebant, sed acriter reprehendebant sceleratos, eisque dira quaeque minabantur; esto scelerati ea contemnerent et riderent.

Tertio, nove Joannes Alba, *Electorum* cap. xxiii, sic explicat: *In tempore illo prudens tacebit, q. d. Sapientes et principes populi ad silentium redigentur et obtutescent, ac praevallidius pondere profunda silentia servabunt. Sic dicitur I Reg. cap. u, 9: « Impii in tenebris confutescent, » hoc est, praevallidius obtutescent. Et de Tyro evertenda ait Ezechiel cap. xxvii, 32: « Quae est ut Tyrus, quae obtulit? » id est obtutescet. Et *Sapient.* cap. x, 21: « Sapientia aperuit os mutorum. » Mutos vocat afflictos Hebraeos, et ob Aegyptiam servitutem obtutescentes: vehementer enim dolor loquelam adimit. Horum Deus ora aperuit, cum dolorem ademittit: et illos exhiberavit liberando ex Aegypto; tunc enim eruperunt in hymnis laudesque Dei, ac coelestium. » Cantemus Domino; gloriosae enim magnificentiae est: equum et ascensorem projecti in mare, » *Exod.* cap. xv.*

14. Sicut dixisti, — scilicet apud vos ipsos, id est sicut desiderastis. Nil enim aliud optabant quam Deum manere secum in terra quam eis dederat: eo enim vivente, mo' usuri erant et ipsi eo abeunte, ipi' quoque abituri erant in captivitatem. Ita Lyranus et Clarius. Secundo, q. d. Praestare quod promissistis, scilicet vos quaesituros nonnum, non malum, ad hoc, ut Dominus sit vobis eum: agile quae dixistis, et facta verbis consentiant, ut mores malos in bonos converteratis, quibus Deum vobis concilietis. Ita Theodoretus. Prior sensus simplicior, secundus plenior est.

15. CONSTITUTE IN PORTA JUDICIUM, — scilicet iustum, hoc est justos iudices, qui munera non

accipiant, sed pauperes et innocentes laentur.

SI FORTE MISERERATUR DOMINUS RELIQVITIS JOSEPH, — id est regno Israel, cujus institutor fuit Jeroboam, dicitur ex Ephraim filio Joseph.

16. IN OMNIBUS PLATEIS ERIT PLANCTUS, ET IN CUNCTIS QUAE FORIS SUNT (puta in caucis vicis, ut vertunt Vatablus et Arias, pagis et villis) dicitur: Vt, v. 1. — Hebraeorum וטו *ho ho*, id est heu, heu, quae vox est gementis et plangentis stragem Samariae. Ita S. Hieronymus.

VOCABUNT AGRICOLAM AD LUCTUM ET AD PLANCTUM EOS QUI SCIUNT PLANGERE, — puta planctores et planctrices, sive praeficas, qui ad funus mortui vocabantur, ut eum voce, et gestu, et tibie sonitu plangerent, de quibus dixi Jerem. cap. ix, 41, q. d. Tanta erit clades, ut omnes plangent, et urbani et rustici: hi naturaliter more rustici, illi ex arte et usu civili (1).

17. QUIA PERTRANSIBO IN MEDIO TUI, — quasi fulgure momento omnia pervadens, percillens et sternens. Unde Aquila vertit *ἀναρτήσας*, quasi citam et curatiosis minime capacem calamitatem, ait S. Hieronymus.

18. VE DESIDERABITIS DIEM DOMINI! — S. Hieronymus, Rupertus et Hugo haec intelligunt de Iudeis aequae ac Israelitis: Arias de solis Iudaeis. Nam cap. seq. 1, nominat Sionem, quae erat urbs et arx Iudeorum, ac hic, vers. 22, agit de victimis Deo vero oblati: haec autem offerebantur in Iudaea, non in Israele. Sensus ergo est, ait S. Hieronymus, q. d. Dicunt impudentes Iudaei et Samaritae: Veniat dies praedicta a Prophetis, veniat intentata captivitas, dummodo quod promittitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captivitate injuria, quantum boni in his quae post captivitatem Dominus pollicetur. Quibus Propheta respondet eos falli et falsa praesolari; nam post 70 annos captivitatis graviores clades eis obventuras. Cum enim iugum Chaldaeorum evaseritis, inquit, incidetis in ursum, id est Cylum et Darium, a quo erenti occurretis colubro, id est Alexandro Magno et Antiocho Epiphani. Verum ad Israelitas solos haecenus fuit sermo, huc vocatur, vers. 15, reliquiae Joseph: hi etiam habuerunt sua altaria Deo vero dicata, quae destruxit Achab et Jezabel, uti plangit Elias III Reg. cap. xix, 10. Loquitur ergo Israelitis, qui irridebant minas captivitatis et excidii, quas eis intebant Prophetae, dicentes: « Manda, remanda; exspecta, reexpecta. » *Isaia* cap. xxviii, 10. Sensus ergo est, q. d. Vos, o Israelitae, irridetis nostra oracula, et irrisorie dicitis: Ubi est dies Domini? ubi est dies et vindictae et excidii, quam ad ravim inclamant et intendant nobis Prophetae? veniat, veniat. Nam ad

(1) Maxime est probabile, inquit Maurer, vocari ad planctum agricolae, aut quae vehementius clamare solent rustici, aut, quod praefendum videtur, ut significet vates, tam amplam se oblaturam esse lamentandi materiam, ut undequaque accessundi sint praedicti et praefici.

hanc diem et vocem jam pridem occalluerunt aures nostrae: dies enim illi semper nobis obijcitur, et nunquam venit. Quare minus haec ut inanes spernimus; diem illum venturum non credimus, nec timeamus. Et si veniat, non adeo horribilis erit, atque abijt ut venit; nec Deus populum suum derelinquet, sed paulo post restituet et restaurabit, uti vos, o Prophete, promittitis. Quibus respondet Propheta diem Domini fore terribilem, foreque diem nubis, caliginis et tenebrarum, id est plenam miseriarum, tristitiae et arumnarum, ac omnia infansia et acerba allaturam. Ita Theodoretus, Lyranus et Vatavus.

19. QUOMODO SI FUGIAT VIR A FACIE LEONIS. — Sensus est: Dies illa periculum ex periculo, cladem ex clade feret, perinde ac si quis leonem fugiens incidat in ursum, et ursum fugiens in domum, ibi mordeatur a colubro, *g. d.* In die illa omnia ubique erunt plena periculis et stragibus: nec fors, nec domi quis tutus erit: foris enim grassantur leones et ursi, domi in parietibus et foraminibus latent angues. Rursum minori periculo et malo succedet majus, sicut sevirior est ursus leone: leo enim supplicibus parit et mortalis, ursus nulli, quin et cadavera invadit et laniat. Addit a Castro pro leonem intelligi Teglathphalasar, qui successit ursus sevirior, scilicet Salmanasar, excurrans et populans agros Samariae: ursum excepit nocentior coluber, id est idem Salmanasar Samaritanum evertens regnumque Israel exsiccans.

Allegorice, Rupertus haec refert ad duplicem Christi adventum: Leo, inquit, est Christus resurgens ut leo de tribu Juda, a cujus facie fugerunt Judaei: sed in eundem incident quasi in ursum, cum secundo veniet ut iudex orbis, quando Judaei conabuntur se tueri et abscondere in maceria et parietibus, hoc est in lege Moysi jam pridem ruente et abolita; sed ibi comprehendet eos coluber, id est Antichristus tyrannorum omnium sevirissimus, de quo dixit Jacob *Genes. cap. XLIX, 17*: « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. » Sic enim de Deo ait Jeremias *Thren. cap. III, 10*: « Ursus insidians factus est mihi leo: in absconditis. »

Tropologicè S. Hieronymus: Diabolus, ait, est leo, ursus, coluber: puta leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gehenna: ibi enim damnatos mordet et cruciat ut aspis. Rursum Clarus: Ve, ait, illis qui desiderant diem Domini, id est diem mortis, ut praesentis vite mala evadant! nam incident in ursum, id est in terribile Christi iudicium, et in colubrum, id est in gehennam ubi ab uno demone et tortore incident in alium et alium jugiter.

Denique haec recte Epicuraei, pollicis et altheis adaptas, qui hic voluptuantur, ventrique et venter indulgent, ideoque sibi persuadere conantur animam hominis esse mortalem, et in morte cum corpore interituram. Hi enim non fiment mor-

tem, sed saturi et oppleti eam optant, ut in ea quiescant. Verum in morte incident in ursum et colubrum, id est in demones, qui ostendunt eis animam esse immortalem, dum eam rapiunt ad aeterna tormenta. Ibi agnoscunt suam stoliditatem, cum daemones eis objiciunt testimonium ipsius animae, dicentque: Si volebas credere S. Scripturae, Ecclesiae, consensui SS. Patrum et sapientum, qui omnes uno ore credunt et docent animam esse immortalem, debebas saltem credere animae tuae, quae testatur se liberam, rationalem, creatam ad imaginem Dei, Denique fore suum iudicem et vindicem, praesertim illis qui omnem hanc vitam in voluptatibus et sceleribus transegerunt. Ubi? nisi in altera vita, eaque aeterna. Id clamavit, id jugiter oclamavit tibi conscientia tua. Clamorem ejus surditate tua sopore voluisti, ac extinguere non potuisti: semper tibi haesit scrupulus, semper dubitatio, semper metus. Quid si anima sit immortalis? quid mihi post hanc vitam accidit? quas scelerum poenas dabo? Stolidè, in dubio tanto, ex quo sciebas aeternitatem tuam pendere, eamque vel beatissimam, vel miserissimam, cur non tulerem, cur non securiorem partem elegisti? Si dubites an via sit obsessa latronibus, aliam capessis, licet longiorem et difficiliorem. Cur idem non feisti in hoc caeco anime bivio? Hoc dilemma (quo nuper pollicitus quidam moriens convictus et conversus est) te sapientiam et prudentiam docere debbat: Vel est numen et vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, atamen si id credidero, non mihi nocet, imo proderit: inducet enim me ad vitam honestam et homine dignam; si est, et ego illud non credidero, imo negavero, quas ejus iras, quae tormenta ab eo ob hanc perfidiam et blasphemiam expectare me oportet? Potius ergo illud credam et confitebor, eum illud credere noncere nequeat; non credere autem gravissimos cruciatu mihi accersera possit. Rursum, vel sunt premia honorum et supplicia malorum, vel ipsa ratio dicat, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare et fimere non oherit, imo proderit ad omnem virtutem: si sunt, et ego ea non credens turpiter et scelerate vixerim, utique supplicis hi-c-ae aeternis mancipabor; longe ergo salus et prudentius est ea credere, quam non credere. Vide Tertullianum, lib. *De Testimonio animae*.

20. NUMQUID NON TENERE DIES DOMINI, ET NON LUX? — Tenebrae symbolum sunt adversitatis, calamitatis et mœroris: lux vero prosperitatis, felicitatis et gaudij, *g. d.* Utique contentum, imo irridendo provocatis et desideratis diem vindictae Domini? Nescitis illam diem vobis fore tenebrosam, id est erumnosam maxime et luctuosam, in qua bonis, libertate et vita spoliabimini? In qua occidet vobis sol hujus lucis, omnisque consolationis et boni, ac non una perpetua vobis erit dormienda, in qua nullus erit sple-

dor, sed umbra mortis et aeterna caligo, mœror et desolatio.

21. OBI, ET PROJECI FESTIVITATES VESTRAS. — Est prolepsis. Occurrit enim tacite objectioni, *g. d.* Vos confidentes in templo ejusque sacrificiis, dicitis et ingeminalis: Templum Domini, templum Domini est apud nos. Deus non sine suum templum ab hostibus everti, nec populum se tot vicinis colentem, ab iisdem capi et trucidari. Quibus Deus respondet: Frustra haec jactatis, frustra in hisce confiditis. Nam ego odi sacrificia et festa vestra; odore et nidore eorum, dum cremantur, aequè ac thymiamatis incensique vestri, non capior, imo offendor: quia ab hostibus meis, impiis et sceleratis mihi offeruntur, juxta illud *Isaie, cap. I, 13*: « Incensum abominatio est mihi; calendae vestras et solemnitates vestras odit animi meum: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. » Illa enim sacrificia valebant tantum et placebant Deo ex opere operantis, non ex opere operato, uti placet sacrificium legis novae. Vide ibi dicta.

22. ET VOTA. — Septuaginta vertunt, et salvatas, scilicet hostias, puta pacificas, quae pro pace et salute domus vel populi offerebantur, vel sponte, vel ex voto; unde Noster vertit: « Vota pinguium vestrorum. » hoc significat hebraeam מריעם מריעם, *marieem, marieem*, sed Septuaginta legentes alii præter מריעם מריעם, vertunt *מריעם*, id est apparitionis, vel praesentiae vestrae, *g. d.* Hostias ad quas offerendas vos Deo praesentes in templo si sitis, non respiciam.

23. ALPER A ME TUMULTUM (Septuaginta, sonitum; S. Justinus *Contra Tryphon, multitudinem*) CARNIUM TÜRORUM. — Canebant Judaei psalmos Davidis et cantica in templo in laudem Dei; sed Deus ea hic fastidit, vocatque *tumultum carnium*: primo, quia eadem caneant idolis; secundo, quia non probantur ex interna devotione, sed ex usu et vanitate; tertio, quia erant hominum impiorum: Ita S. Hieronymus; quarto, quia inconditis et confusis vocibus tumultuarie hoabant, vel ululabant. Unde Syrus vertit: *Transfer a me vocem jubilationis tuae*.

CANTICA LYRAE Tuae NON AUDIAM. — Septuaginta: *Psalmum organorum tuorum non audiam*. Psalmos enim et cantica partim caneant voce, partim instrumentis musicis, puta lyra, psalterio, organo, etc. Putabant crassi Judaei se sua deliria lyraudo legere, se suavi concentu aures Dei irati mulcere eamque quasi incantare, uti incantantur cervi et serpentes. Hinc Aegyptij hominem adulatione deceptum significabant per cervum eum tibicinem, ait Horus II *Hierogl. LXXVII*. Hujus eorum concentu capitur cervus, et facile in venatorum manus incidit. Simili modo Circe voluptuaria incantavit socios Ulyssis, eosque in porcos et bestias convertit, ut fabulantur poetæ: sed Ulysses suis auribus clausit, inde incantati non potuit. Verum errabant: Deus enim cantibus eorum, non oris capitur.

Videant hic chorales et cantores christiani ne in psalmodia ex festinatione versus praecipiente praemordant, cum altero choro commisceant et confundant, ne audiant a Deo: « Aufer a me tumultum carminum tuorum. » Videant pariter, ne totam psallendi devotionem collocent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonus minnendi, etc., dum instar svium miorant, ut curiosorum aures titillent, ad se rapiant et ab oratione avocent; ne audiant a Deo: « Cantica lyrae tuae non audiam. » Pro quo Arabius vertit: *Ne distinctionem (varietatem, flexus et gyros) faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum*. Quocirca discant illud Apostoli: « Psallam spiritu, psallam et mente. » Et illud S. Augustini et S. Athanasij, quem citat S. Augustinus lib. *X Confess. cap. xxxii*: « Tullius, ait, mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui tam modo flexu voce faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntiant vicinior esset, quam canenti. » Et mox: « Commoveor non canto, sed rebus quae cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnum institui hujus utilitatem agnosco, ut per oblectamentum aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit ut me amplius cautus quam res quae cantantur, moveat, penatier me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. » Idem in *Psalm.*

XX. concione initio, docet psallenti induendus esse psalmi cujusque affectus. « Si orat psalmus, inquit, orate; et si gemit, gemit: et si gratulatur, gaudeat; et si timet, timeat. Omnia enim quae hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. » Idem in *Psalm. XLII*, initio: « Ejus (Christi) vocem in omnibus psalmis, vel psallentem, vel genuentem, vel instantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam jam et familiarissimam habere debemus, tanquam nostram. » Idem in *Psalm. CXXIX*: « Quam multi, inquit, sonant voce, et corde multi sunt; et quam multi loquentur labijs, et clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei: sicut aures corporales ad eos hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiantur, et multi in magnis clamoribus non exaudiantur. Affectibus orare debemus et dicere: Multum peregrinata est anima mea; cum his qui odorant pacem erant pacificus. » Hoc est quod Psaltes ait, *Psalm. XLVI, 2 et 7*: « Jubilate, ait, Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terrae Deus: psallite sapienter; » S. Augustinus legit: « Psallite intelligenter. » Quod explicans S. Bernardus, serm. *7 in Cant.*: « Attendite, ait, principes vestros (angelos) cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina; et gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem Patris. Usurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis: Psallite Deo nostro, psallite, atque audiamus eos vicissim respon-

dentis : Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum celi cantoribus in commune dicentes, utpote civis sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibis in ore, psalmus in corde sepit, etc. Mel in cera, devotio in littera est; alioquin littera occidit, si absque spiritu condimento glutinosis. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas et mente, cognosces et tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus : Verba que locutus sum vobis spiritus et vita sunt. » Idem, *De Modo bene vivendi*, ad sororem, cap. III : « Hoc, ait, tracta in mente, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, non aliud cogites, aliud cantes. » Et mox : « Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in eterna gaudia, sicut scriptum est : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula saeculorum laudabunt te. Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodam modo angelis Dei sociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem angeli sine intermissione adorant et glorificant in caelis. » Et inferius : « Sacrificium laudis honorificabit me, inquit, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Ac si apertius diceret : In psalmis est iter laudis, quo ad aeternam laudem pervenire possis. »

24. ET REVELABITUR QUASI AQUA JUDICIUM. — Et, id est *idecirco*, scilicet ob scelera vestra jam recensita, impiae vestrae sacrificia et carmina, revelabitur et profuet a Deo iudicium, id est supplicium, quod ipse ex improvviso in vos immitet, sicut revelatur et profluit aqua e fonte ocluso et obturato, si is aperiat, et multo magis ex torrente in valle aggeribus coarctato, si his increset et exundet : tunc enim prata et campos obruit et sepelit.

Pro revelabitur hebraice est *יגלל* *iggall* : quod si a radice *גלל* *gala* deducatur, ut sit futurum *גלל* *gall* per apocopen, *iggall* pro *יגלל* *iggale*, tunc significat *revelabitur* : sin autem deducas a radice *גלל* *galal*, et per erasim *גל* *gal*, tunc significat *obruet, convolvit, obruet*. Unde Septuaginta vertunt : *Volvetur sicut aqua iudicium, et iustitia sicut torrens veniens*; Pagninus : *Volvet se sicut aqua iudicium, etc.*; R. David : *Judicium ultionis meae quasi moles aquarum inundantium affluet et revolvetur ad vos, q. d. Ira et vindicta mea instar torrentis furioso impetu exundantis vos involvet, obruet et auferet. Secundo*, Tigrina, Arias et Vatablus vertunt per optativum, vocemque et capiunt adversative pro *sed*. Unde sic vertant : *Sed profuit, vel devotus se, aqua instar, iudicium, et iustitia ceu torrens veniens, q. d. Corrigit vestra iudicia iniqua et oppressiones pauperum, quas paulo ante reprehendi, vers. 7, neque iis amplius indulgete : sed ex adverso eollite iudicium et iustitiam pauperes et innocentes protegendo : quod si feceritis, me vobis reconciliabit, minasque a me intentas evadetes. Verum priorem sensum exigit versio nostra, Septuaginta et Chaldaei :*

omnia enim haec ponam et vindictam incoleant. 23. NUMQUID HOSTIAS ET SACRIFICIUM OBTULISTIS MIHI IN DESERTO QUADRAGINTA ANNIS? — Quibus peregrinati estis in deserto, q. d. Non.

Quaeres, quomodo hoc sit verum? Respondent S. Hieronymus, Albertus, Rupertus, Hugo hic, et S. Chrysostomus et Bada in *Actor. vii. Judaeos* primo anno quo in paschale, puta in martio, egressi sunt ex Aegypto, adorasse vitulum aureum 4 mense, puta 24 die iunii : et ab illo tempore non sacrificasse Deo vero sponte sua, sed coactos a Deo et Mose. Verum obstat quod mox eos adorationis vituli penituerit, Deoque reconciliati sint; unde Deus cum eis foedus iniit, ac tabernaculum sibi dedicari iussit anno 2 ab exitu ex Aegypto, mense 1, in qua dedicatione Hebraei multas victimas sponte obtulerunt Deo, ut patet *Exod. cap. xl, Levit. cap. ix et x, Num. cap. vii. Secundo* ergo melius respondent alii Hebraeos post hanc dedicationem tabernaculi, atque consecrationem Aaronis et florum ejus in sacerdotibus, nunquam vel raro obtulisse Deo solemne sacrificium in deserto, sicut in eodem non fuerunt circumcisi, ut patet *Josue cap. v. 7* : quia versabantur in continua peregrinatione, nec certant de statione ad unum diem; quia mox ut movebatur ab angelo columna nubis incutebas tabernaculo, debebant movere castra et proficisci : unde deinceps post cap. x *Levit.*, toto reliquo *Levitico*, Numeris, et Deuteronomio usque legimus eos sacrificasse. Ita Lyranus, Vatablus, Arias et alii. Adde Hebraeos in deserto proclives fuisse in murmura, ac crebro contra Deum et Mosem rebellasse, atque ad idola quoque reciter in Aegypto coluerant rediisse.

Nota : Vocantur hic quadraginta anni, cum fuerint tantum 38 et aliquot menses. Nam 2 anno ab egressu ex Aegypto erectum est tabernaculum, ut in eo obtulerunt victimas; deinceps vero nullas, vel raras : hi ergo duo anni ex quadraginta subtrahendi sunt. Solet enim Scriptura integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. Sic vocantur septuaginta discipuli Christi, cum fuerint 72. Sic *Judic. cap. ix, 3*, dicitur Abimelech occidisse septuaginta fratres, filios Gedeonis, cum fuerint tantum sexaginta novem; nam unus, puta Joathan, fuga elapsus evasit.

26. ET PORTASTIS TABERNACULUM MOLOCH (deo, uti aliqui codices legunt) VESTRO. — Hebraei *מולח* *molach*, id est elevatis, exerxitis, sustulists in humeros vestros. S. Stephanus *Actor. vii*, legit, *suscipistis*. Pro tabernaculum hebraice *מטות* *matot*, quod Chaldaeus et Vatablus censent esse nomen idoli; unde vertunt : *Portastis Sicut regem vestrum*; Arias vero ex R. Jona : *Portastis, vel sustinistis auscultationem regis vestri*. Theodotion vertit, *visionem*. Verum *sicut* incognitum est nomen, nec alibi reperitur. Pro *sicut* ergo alio puncto legendum *כרות* *sucrot*, id est taberna-

enta : ita Septuaginta, Symmachus, Noster, Tigrina et Aquila, quia verit *מולח*, id est *utroque*. Quin et S. Stephanus *Actor. vii, 43*, legit *tabernaculum*. Denique pro Moloch hebraice est *מלכ* *malchek*, id est regis vestri, vel regi vestro, ut vertunt Symmachus, Theodotion et Tigrina, puta Moloch. Moloch enim idem erat qui Melchom, ut vertit hic Aquila, et Melech, id est rex summus hominumque deumque, puta Joviter, sive deus Ammonitarum. Quis fuerit Moloch, dixi *Levit. xviii, 21*.

Quaeres, quando Israelite portarunt tabernaculum Moloch, eumque coluerunt? Lyranus, Vatablus, Arias et a Castro haec propheticè accipiunt quasi futura : *Portastis*, inquit, id est *portabitis*, q. d. Transferam vos trans Damascum in Assyriam, ibique Assyrii cogent vos captivos humeris portare Moloch, aliaque idola vestra per Iudibrium, quod illi dii vni sint, qui vos a clade Assyriorum tutari non poterunt. Aut *portastis*, id est portabitis et luetis supplicium excidii et captivitatis, propter tabernaculum et idolum Moloch quod exerxistis. Verum hic sensus durus est : tam enim Hebraea quam Septuaginta, Chaldaeus et alii omnes vertunt, *portastis* in praeterito;

et enim *portastis*, pertinet ad 40 annos in deserto, qui processerunt, q. d. Quadraginta annis in deserto sacrificastis, non mihi, sed Moloch et idolis, ita explicat S. Stephanus *Actor. vii, 41* : « Et vitulum, inquit, fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, etc. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiae caeli (stellis), sicut scriptum est in libro Prophetarum (in Amos hoc loco) : Numquid victimas et hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch. » Ubi vovela et adversativa est, capiturque pro *sed*, q. d. Non enim, sed Moloch tabernaculum et cultum suscepistis. Alii, ut Lyranus, censent Hebraeos coluisse Moloch, non in deserto, sed in terra sancta, ut fecit Salomo II *Reg. xi, 5*. Verum hoc huic loco non convenire patet iisdem rationibus jam allatis. Quare alii passim, ut S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus et alii censent Hebraeos in deserto coluisse Moloch; Oecumenius, in *Actor. vii*, putat eos coluisse Moloch tunc, quando Moses cum Deo agebat in monte Sina : tunc enim conflavit vitulum aureum, *Exod. xxxii*. Verum quia id accidit paulo post egressum ex Aegypto, cum necdum attigerant fines Ammonitarum, quorum deus et idolum erat Moloch; hinc verius videtur quod ait Ribera, id eos fuisse *Num. xxv, 1*, dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt Beelphegor. Nam Josephus, lib. IV *Antiq. vi*, ait eos tunc non unum, sed multos deos coluisse : et Ammonite vicini erant et cognati Moabitibus : quocirca hi ab illis acceperunt idolum et cultum Moloch. Nec Moses id impedire potuit, sicut impedire non valuit cultum Beelphegor in populo furente, et principibus populo

consentientibus, imo illi in scelere praesentibus, ut habetur *Numer. xxv, 4*. Licet ergo id Moses in Pentateucho non scripserit, tamen id revera contigisse patet ex Amos et ex Stephano, qui vel traditione majorum, vel revelatione Dei id acceperunt.

Sensus ergo est, q. d. Jam inde ab initio synagoga, vos, o Israelite, coluistis idola in deserto, et exinde nunquam ab eorum cultu plane recessistis. Ergo ego Deus detestor sacrificia vestra, etiam mihi oblata : quia me cum Moloch et idolis componitis et colitis. Quare excindam vos, uti minatus sum vers. 1, traducamque per Damascum in Assyriam. Nota *et portastis*; Judei enim, more gentium, solemni pompa in tabernaculo secum circumferebant Moloch deum suum, religionis et protectionis ergo, quasi viae sua comitem et ducem; sicut per desertum portarunt arcam et propitiatorium, in quo quasi throno residebat Deus. Sic gentes per viam secum duxisse tutelares deos docet Servius in illud *Eneid. vi* :

Errantesque Deos, agitataque numina Trojae.

Sic Rachel, furata idola patris sui, ea secum duxit in Chanaan, *Genes. xxxi, 34*. Jacob vero de Deo ait : « Socius fuit itineris mei, » *Genes. cap. xxxv, 3*.

ET IMAGINEM IDOLOREM VESTROREM. — Pro *imaginem* hebraice est *תבנית* *tabnit*, quod retinetur in sua versione Aquila, Symmachus et Chaldaeus. Quin et Syrus : *Portastis*, inquit, *tabernaculum Malcham, et Keon similitudinem* (imaginem, simulacrum, idolum) *vestrum, sidus quod fecistis vobis deum*; R. David, Pagninus et Vatablus vertunt, *placentiam*, quam suis idolis offerbant; Theodotion vertit, *ἀπαρτιστον*, id est *obscuritatem*; Noster recte vertit, *imaginem*, vel statuum adlabre apparatus, concinnatam et erectam ab eorum. Radix enim *תבנית* significat parare, concinnare, firmare, erigere; Septuaginta vertunt : *Sidus dei vestri Rephan*, vel potius, ut Romani codices legunt *Rephan*. Septuaginta sequitur S. Stephanus, *Actor. vii*.

Quaeres, unde Septuaginta acceperunt *Rephan*, quod non est in Hebraeo, nec in ullo interprete? Theodoretus, Ribera et a Castro censent eos *Rephan* de suo addidisse, ut nomen idoli exprimerent. Verum dico Septuaginta hebraeum *Kian* vertisse *Rephan*. Id enim expresse asserit S. Hieronymus. « Pro eo, inquit, quod in Septuaginta legitur *Ῥεφαν*, Aquila et Symmachus ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt *Kian*. » Et patet; nam hebraeo *Kian*, apud Septuaginta non est vox a qua respondeat, nisi *Rephan*. Ubi advertit Septuaginta et ex eis S. Stephanum legisse hebraeos voces inverso ordine, ac nonnullas transposuisse. Sic enim legerunt : *Cocob elohochem Kian tsalmechem aser asilim*, id est *sidus dei vestri Kian*

Rephan
quid ?

(pro quo ipsi vertunt *Rephah*) *spicis eorum quas fecistis*. Jam vero in Hebræo legitur: *Kiam tsalmachem corab elohabechm ascer aschim*, id est *Kiam* (quod Noster vertit, *imaginem*) *figurarum*, vel *idolorum vestrorum*, *sidus deorum vestrorum*, *quos*, vel *que fecistis*. Sed qua ratione Septuaginta pro *Kiam* verterunt *Rephah*? Respondet primo Christophorus a Castro, id eos fecisse, quia idolum et sidus quod hebraice vocabatur *Kiam*, græce vocabatur *ἱερὸν* a *ἱερός*, id est pure et caste vivo, eo quod sidus hoc in ore idoli positum esset. Verum obstat quod *Repha*, vel *Rempham* non videtur esse græca vox, sed hebræa, aut arabica, vel persica. Nam S. Stephanus loquens hebræis hebraice, non græce, *Actor*. vii, vocat illud *Rephah*, aut potius significat ab illis ipsis vocari et invocari *Rephah*. At enim: « Sidus Dei vestri *Rephah*, » *q. d.* Vos deum vestrum vocatis *Rephah*. Illi autem loquebantur hebraice, non græce, nec cum Græcis ullam adhuc communicationem habuerant.

Secundo, ergo verisimilius nonnulli hebraice periti respondent *Kiam* idem esse quod *Rephah*: Septuaginta enim pro *קין Kiam*, aliis punctis legitur *קין Keian*: et deinde mutatione unius litteræ similis in similem, puta *כ* in *ר* pro *Keian*, legitur *Rephah*: aut certe errore librariorum et descriptorum id factum esse, ut pro *כ* scriperint *r*. Ita auctor *Thesauri Hebræici*, Drusus et Forsterus in *Lexico*; et aliqui similes, in fide licet heterodoxi. Favet huic conjecturæ, quod simili modo, *Naham* 1, 6, pro eadem littera *כ* Septuaginta legerunt *ר*, nimirum pro *כנען* *knecp*, id est sicut ignis, alio puncto legerant *כנען* *knecp*, id est caput, princeps; unde vertunt *ἄρχη*; id est *principatus*. Sic pro *Achan* legitur *Achar*, pro *Abimelech*, *Achimelech*, pro *Casdin* *Chaldæi*, ubi litteram *s* in *t* transmutant, perinde ac Latini, dum pro *iboniam*, vertunt dicuntque *Olysses*. Sic alibi crebræ sunt similes litterarum metatheses. Sic hoc loco pro *Rephah*, Arabicus Alexandrinus vertit *Dacham simularum quod fecistis volas*. Verum obstat huic sententiæ, quod *or*, *es* codices Hebræi habeant *Kiam*, non *Rephah*; *es* adverso omnes codices Græci et Latini *Actor*. vii, constanter habeant *Rephah*, non *Keian* aut *Kiam*. Non ergo est verisimile solos Septuaginta le *isse* in uno Hebræo codice *Rephah* pro *Keian*; aut descriptores pro *Keian*, in Septuaginta descripsisse *Rephah*, præsertim cum tota Ecclesia in Vulgata editione *Actor*. vii, constanter legat *Rephah*, quasi hæc vera et æquissima sit lectio. Accedit quod in Hebræo apud Amos hoc loco non sit *Keian*, sed *Kiam*, ut legitur S. Hieronymus, Aquila, Symmachus et alii passim; *Kiam* autem præter abest a *Rephah*.

Dico ergo cum Leone Castro, *Apologet.* lib. VI,

Kiam et *Keian* idem esse quod *Rephah*, eo quod hoc idolum primitus nominatum et cultum ab Ismaelitibus et Persis (uti passim Interpretes confitentur, et Rabini tradunt) eorum lingua dictum sit *Kiam*, vel *Keian*, quam vocem ut barbaram cum non intelligerent Hebræi, levi unius litteræ commutatione, sua lingua vocarunt illud *Rephah*, id est gigantem: quomodo Syri demum vocant gigantem sæculorum, quia ipse ut gigas omnia mundi, æque ac temporum spatia, sua immensitate et æternitate ambit et complectitur: aut certa *Rephah*, id est sanctorem, *q. d.* Hic est qui nos sanat et salvat. Unde ab eadem hebræa radice vocatur angelus Raphael, *q. d.* Medicina vel sanatio Dei. Aliqui codices pro *Rephah* legunt *Rompha*, quod hebraice dicitur *רומפ* *rump*, idemque est quod *celstudo* oris. Forte idolum hoc habebat magnum altumque os, ut habent pleraque idola prisca quæ dabant oracula. Talia enim vidi in Vaticano, ac tale est celebre illud quod iuxta Ecclesiam S. Mariæ in schola Græca, sive in Cosmedia, Romæ visitur, et vulgo vocatur *Bocca della verità*, id est os, vel oraculum veritatis. Porro licet vulgus Hebræorum nomen barbarum *Keian* verterit vocarique hebraice *Rephah*, *Rempham* et *Rompha*, doctiores tamen Hebræi retinuerunt originale *Keian* quoad litteras, et levi punctorum sive vocalium mutatione, hebræa voce vocarunt illud *Kiam*: ita enim habet hic Amos, Aquila et Symmachus. Nam *Kiam* deducitur a radice *קין kun*, quod significat paravi, aptavi, reclusi, direxi, verificavi, certificavi, firmavi, perieci, decrevit. Unde *Kiam* idem est quod paratus, apertus, erectus, perfectus, dans vera, certa et firma oracula ac decreta.

Quæres *secundo*, quis fuit hic *Rephah*? Giraldus in *Synagoga*. lib. *De Hercule*, censet *Rephah* significare gigantem, ab Hebræo *Rapha*, qui fuit pater gigantum. Unde Hebraice gigantes dicti sunt *Rophaim*: *Rephah* ergo esse nomen Herculis; qui etiam a Gentilibus dictus sit hebræa voce *Con* vel *Conen*, id est stator, vel erectus, excelsus, ita ut Hercules dictus sit *Kon*, vel *Kiam*, et *Rapha*, sicut Joviter dictus est stator. *Secundo*, Hebræi recentiores censent esse Saturnum: quia is ab Arabibus et Persis vocatur *Kiam*, quod idem videtur esse cum *Keian* et *Rephah*. *Tertho*, Ribera censet fuisse Jovem, qui habuerit stellam in vertice. *Quarto*, alii volunt fuisse Martem. *Quinto*, versum *quinto*, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Beda, Lyranus et alii censent esse stellam Veneris, quam mane præiens solem vocatur *Lucifer*; vespera sequens solem vocatur *Hesperus*. Probatur illud sum ex eo quod hæc stellam quasi cæli reginam coluerint olim Syri, teste S. Hieronymo in *Vita S. Hilarionis*, et etiamquod nomen Saraen: quin et Giraldus, *Synagoga*. lib. *XIII*, ex *Elliano* et aliis docet Venerem Uraniam, id est celestem, quæ non videtur alia esse quam *Lucifer*, cultum fuisse ab Ægyptiis, Phœnicibus et Assyris. *Uo*

script
ad
illud
clic.

eos pellexit splendor et fulgor Luciferi, quem ita depingit Ovidius:

Ecce vigil nitido patefecit ab orta
Purpureas aurora faces, et plena rosarum
Atris, diffingunt stelle, quarum agmina cogit
Lucifer, et cæci statione notissimus exit.

Porro *Lucifer* dictus videtur *Kiam*, vel *Keian* a radice *קין kavo*, id est ardere, urere, quia habet speciem ignis. Unde Poeta:

Hespero, qui hinc cælo jucundior ignis.

Unde pro *Keian* Arabicus vertit, *Dacham*, quod est nomen arboris cortice rubeo; quale est lignum quod vulgo *Brasilicum* dicitur, quasi ex ea fabricarint idolum. Color enim rubeus est ardens et igneus, ideoque refert ardorem stellæ Veneris. Aut dicitur *Kiam*, a radice *קין kun*, id est dirigere, preparare, quod solem vesperi sequens, mane vero præcedens, illum quasi dirigat, illique viam præparet. *Luciferum* ergo videtur coluisse Hebræi peregrinantes in deserto, tanquam ducem itineris, instar columnæ ignis et nubis: quia *Lucifer* aurora, solis et diei dux est: solem enim adducit. Theodotion, et ex eo Commentarius, *Actor*. vii, *Keian* vel *Rephah* vertit, *obscuritatem*, *q. d.* Vos, o Hebræi, lucem a stella hæc *Luciferi*, quasi a deo et idolo vestro, petitis, qui non est lux, sed tenebrosus et nocturnus, ipsaque obscuritas; ac profunde lumine suo ad viam vobis præire nequit, sed vos obscurat et exæccat, et in avia inviaque abducit. Porro verisimile est idololatrias hosce *Luciferum* figurasse quasi hominem excelsum et fulgidum, eique affixisse in fronte aut vertice stellam *Luciferi*; sicuti Romani statuas Julii Cæsaris stellam in vertice oppingebant, teste Suetonio in *Vita ejus*, cap. *LXXXVII*, et Plinio, lib. *II*, cap. *XXV*. Unde Horatius, lib. *I*, *ode XII*:

Ment inter omnes
Julium sidus, velat inter ignes
Luna minoræ.

Et Virgilius, *eclog.* *IX*:

Ecce Dionæi propositi Cæsaris et armæ,
Astrum quo segetes gauderent et urbes.

Hinc patet *Rephah* vel *Rempha*, aliam fuisse a *Moloch*: nam *Lucifer*, sive sidus Veneris, aliud fuit a *Moloch*: uterque ergo fuit deus Gentium et Hebræorum, uti hic dicitur. Quæ re minus recte censent aliqui, ut Beda, Lyranus et Glossa, *Remphan* fuisse sidus, et stellam quæ affixa fuerit fronti vel vertici *Moloch*. Non improbabilius tamen Sanchez hic et *Actor*. vii, censet *Moloch* esse Solem, *Remphan* *Luciferum*. Hinc stella, ait, *Luciferi* posita erat in fronte *Moloch*; quia *Lucifer* solem orientem antecedit; sol enim est *Moloch*, id est rex stellarum. Hinc et Judæi cum *Moloch* filios suos consecrarent, eos pro ignem traduce-

bant, quia solis igneam esse naturam putabant. Quocirca reges Persarum, censentes solæ esse Deum, solis nomen sibi aut imaginem assumebant, quasi diti quidam terrestres. Ita Sapor, ut tradit Herodellus lib. *VII*, scripsit ad Constantium imperatorem: « Rex regum Sapor, participantis siderum et frater Solis et Lunæ, Constantio fratri salutem. » Hæc quoque de causa ignem sibi præferri curabat, cuius speciem habet stella *Luciferi*. Ita Q. Curtius, lib. *III*, et Rodiginus, lib. *VIII*, cap. *II*, tradunt in castris regum Persarum, super tabernaculum regis conspiciam omnibus promicare solis imaginem crystallino inebus globo, et illi ignem præducere: quia enim solem Persæ et Chaldæi colebant, hinc et ignem pro deo coluere, utpote qui viva sit solis imago. Hæc Sanchez *II*.

(1) *Propheia Rephah*, id est *Luciferum*, colunt superbi, qui excellere, suamque lucem, id est doctrinam et sapientiam, ostentare satagunt; qui ambiunt honores et prælaturas mox perituras. Bi enim *Luciferianus* ex *Lucifero* fient *Hesperus*, ex ortu ibunt in occasum, ex summo in imum, a luce in tenebras, uti facit stella quæ vocatur *Lucifer*; atque a cælo in gehennam, sicuti contigit *Lucifero* angelo superbo. Hinc *Lucifer* varie fortumæ et sortis, ac inconstantiæ, æque ac calamitatis est symbolum, uti dixi *Isaia* *XV*, *12*, ad illa verba: « Quomodo cecidistis de cælo, *Lucifer*, qui mane oriebaris? » Omnis ergo mundi honor et gloria, est stella cadens; splendet enim ad medium aut *Lucifer*, sed mox occidit ut *Hesperus*, idque occasu duraturus. Vere S. Augustinus in illud *Psalm.* *LXXXIX*: « Dies nostri sicut aranea mediabantur: Aranea, ait, textit tota die, et labor grandis est, sed effectus nullus; sicut et vita hominum: possessiones quarumvis, divitiæ appetitus, proceræque filios, in regna sustollunt, et omnia facinus; et non intelligimus quod aranea telam textimus, » et interrim æternæ felicitatis, ad quam crevit et vocati sumus, obliviscimur. Ita *Heliothalus* imperator, ait *Lampridius* in ejus *Vita*, jubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito premio, diciturque collegisse decem milia pondo, dicens, et hinc conieciendum, quam magna esset Roma.

Rephah
colunt
superbi.

(1) Istem versum et potissimum dictiones ejus difficile sunt, data opera commentati sunt Thour. Goolwin in *Antiq. Judaic.* lib. *IV*, cap. *II*, § *17*, edit. Carpozii, et Carpozios in *Antiquitates sive Apparatu*, pag. 488, 490; Jo. Braunius in *Selectis S. Script.* lib. *IV*, cap. *18*, § *15*; Petr. Jurien, *Histoire des dogmes et des cultes*, part. *III*; *Traité du Vau d'or*, cap. *IV*; Gualt. Jahn, *Dissert. dæe de קין Kion*, *Anos*, v, 26; Meier, *Dissert. de sacello et basi idolorum*, ad *Amos* v, 26; P. E. Jablonskins, *Remphanus Ægyptiorum deus ab Israelitis in deserto cultus nove ex lingua et antiquitate Ægyptiaca eravus et illustratus*; *Deylingii Observati.* *S. Script.* tom. *II*, *Observ.* *xxxix*, pag. 444; Christoph. Gottl. Wolf, *Disput. de cithon et Remphan*, ad *Amos* v, 26; Nic. Guill. Schræder, *Dissert. e tabernaculo Molochi et stella Dei Remphan*.

Quam multi hodie sunt Heliogabali, quam multi araneorum venatores, qui non aliud quam opes et honores, id est araneorum telas, aucupantur!

27. ET MIGRARE VOS FACIAM TRANS DAMASCUM, — in Assyriam: eo enim ab Assyriis ex Samaria traducte sunt decem tribus, ut patet IV Reg. xvii, 6. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Arias et alii.

Dices: Quomodo S. Stephanus, Actor. vii, 43, citans hunc locum, ait: « Et transferam vos trans Babylonem? » alia enim est Babylon, alia Damascus. Respondet ibidem Oeumenius et Cajetanus, Damasum hic sumi non pro urbe, sed pro regione et ditione Damascena, quae se extendebat usque ad Babylonem. Verum hoc non videtur verum; quia circum Babylonem quaquaversum late domicabantur Babylonii monarche, non Damasceni. Rursum S. Stephanus non ait: *Transferam vos Babylonem, sed trans Babylonem*; Damasceni autem nunquam trans Babylonem domiti sunt. Respondeo ergo S. Stephanum citare Amos non quoad verba, sed quoad sensum et rem. Nam reipsa decem tribus abducte trans Damascum in Babylonem, etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam aliasque regiones traductae et dispersae sunt. Salmanasar enim « transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala et in Habor, juxta fluvium Gozam in civitatibus Medorum, » IV Reg. xvii, 6. Unde Tobias, cap. i, 16, invisit suos tribulatos captivos in Rages, civitate Medorum. Idem docet Josephus lib. IX *Antiq.* cap. ult., et lib. XI, cap. v. Ita S. Hieronymus, Beda, Rupertus, Ribera, a Castro et alii. Porro S. Stephanus id ex se, non ex Septuaginta dixit; Septuaginta enim hic habent ut Noster: *Trans Damascum, non trans Babylonem.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Carpit Deus optimates, qui ea rapinis pauperum lascivebant in stratis, bibebant vinum in phialis, etc., et nil patiebantur super contritione Joseph (populi). Quocirca, vers. 8, jurat per animam suam, quod illos funditus perdet et mactabit (1).

1. *Vae qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariae: optimates capita populorum, ingredienti domum pomptice domum Israel! 2. Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam: et descendite in Geth Palaestinarum, et ad optima quaeque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. 3. Qui separati estis in diem malum: et appropinquatis solo iniquitatis. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibati: et nihil patiebantur super contritione Joseph. 7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: et auferetur factio lascivientium. 8. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Jacob, et domus ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. 9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. 10. Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum ut effera ossa de domo: et dicit ei qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te? 11. Et respondebit: Finis est. Et dicit ei: Tace, et non recorderis nominis Domini. 12. Quia ecce Dominus mandabit, et percussit domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam*

(1) Haec propheta non ut praecedentes ad solas Israelitas, sed ad totam nationem Hebraicam spectat, continetque

PRIMO, praemonitionem qua, primo, optimates regnum Judee et Israelis perstringit, ut nimium confidentes et securus; 1; secundo, eos comparat cum vicinis regnis, ut magis et aperti illorum ingratitude ostendat; 2; tertio, eos adlocet de destinata et propinqua afflictione, 3.

SECUNDO, enumerationem criminum utrique regno

communium, scilicet primo, mollitiei et libidinis; 4; secundo, excessus in usu musicae et potu; 5; tertio, delictis misericordiae erga fratres, 6.

TERCIO, denuntiationem afflictionum quae erant, primo, traditio urbium in manus hostium, 7, 8; secundo, evocatio domorum per frequentes et continuas iras, 9-11; tertio, destructio regni Israelitici perpetua, Judee temporaria, 12; quarto, impossibilitas propriis viribus, aut resistentiis aut reparatis, 13, 14; quinto, vastitas omnium Palaestinae per Assyrios et Babylonicos interenda, 13.

convertitis in amaritudinem iudicium, et fructum iustitiae in absinthium? 14. Qui latamini in nihilo: qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus vobis cornua? 15. Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: et eeter vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.

1. *Vae qui opulenti estis in Sion!* — Hinc Arias putat Prophetam hic ab Israele divertere sermonem ad Judam: hic enim erat incola Sionis et Jerusalem. Unde ipse sic vertit: *Vae opulentis in Sion, et (id est sic) confidentibus in monte Samariae! q. d. Sionitis idem vae imminet, quod huc usque intentavi Samaritis. Vox enim et, quando duo similia necit et jungit, est nota comparationis, idemque valet quod sicut, ut patet in Proverbis, singulis saepe versibus.*

Ex adverso Theodoretus ex Septuaginta putat hic sermonem esse ad solos Samaritas. Sic enim vertunt Septuaginta: *Vae spernentibus Sion, id est Samaritis, qui despiciunt templum Dei in Sion, ut extollant sua fana in Dan et Bethel! Verum media hic via incedendum, ut utrumque jungamus. Propheta enim hic directe et primario pergit, uti cepit, loqui Samaritis; secundario tamen compellat quoque Sionitas et Judeos. Id enim clare significat, cum ait: *Vae qui opulenti estis in Sion, et confidentibus in monte Samariae!* Et quia vers. 6 et 8, vocat eos Joseph et Jacob, quibus nominibus proprie significantur Samaritae. Denique clare vers. 13: « Ecce, inquit, suscitabo super vos, domus Israel, » etc. Proprie ergo Israelitem, id est Samaritae, haec spectant, comitanter tamen ad Judeos quoque qui Israelis erant fratres tam seclere, quam sanguine, ideoque fratres pariter futuri in poena et excidio, minas suas extendit Propheta, ut illos ab idololatria Israelis per ejus cladem et stragem imminenter avertat. Unde Chaldaeus, vers. 12, sic habet: *Percussit regnum magnam Israel percussione forti, et regnum minus Juda plagaverit sicut.* Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et Vatablus.*

Nota: Pro opulenti hebraice est *השכנים* *hassepananim*, id est fertiles, divites, abundantes, securi. Unde S. Justinus *Contra Tryphon.* vertit: *Vae qui deliciis affluistis in Sion!* Pagninus: *Vae quietis in Sion!* Vatablus: *Vae tranquillis, id est vitam degentibus in summo otio!* Radix enim *שָׁן* *shan* videtur conflata ex *שָׁן* *spe en*, id est qui nihil, scilicet timent, nihil curant, nihil agunt. Rursum, quibus nihil deest, sed in summa pace et rerum affluentia securam, tranquillam, otiosam et delicatam agunt vitam. Unde R. David vertit: *Vae divitibus qui sunt quieti, qui fidunt quod nihil eis mali continget!* Scapanus ergo est dives, qui secure et deliciose quiescit in suis opibus. Alii: *Vae insolentibus!* ex divitiis enim et deliciis homines insolentem, instar vitulorum in pascuis lascivientium. Hoc spectasse videntur Septuaginta, Syrus et Arabicus, qui vertunt: *Vae spernentibus!* insolentes enim fastum induunt, aliosque spec-

nant. Aut certe hebraeam *hassepananim* derivant a radice *שָׁן* *ain*, et per crasin *en*, id est non, nihil, ut littera *sein* non sit radicalis, sed servilis, idem valens quod *שָׂר* *asser*, id est qui, quasi *hassepananim* sint annitantes, id est nihil facientes, qui non astimant et nihil faciunt suos vicinos et fratres. Hoc enim innuit graecum *επειθεῖσθαι*, quod pariter ab *εδδν*, id est nullus, nihil, derivatur, q. d. Qui alios annullant, nullos putant, nihil pendunt. Nisi quis suspicetur Septuaginta, pro duplici *nan* legisse litteram *teth*, cujus character est quasi duplex *nan*, puto pro *השכנים* *hassepananim*, legisse *השכנים* *hassepatim*, id est spernentes. Radix enim *שָׂן* *sepat* proprie significat, spernere, despiciere, contemnere, diripere.

Huc alludit Christus *Luce* vi, 24, dicens: « Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis! »

OPTIMATES. — Hebraice *קְרוֹבִים* *krubim*, id est perfortati, hoc est nominati, famosi, celebres, quos vulgo dicimus currere per linguas et ora hominum, uti sunt optimates et principes.

CAPITA POPULORUM. — Hebraeam *רִשְׁטִים* *resstims* significat principium, primitiva, primitias, praecipua, id est duces et capita gentium, id est populorum, puta decem tribuum Israel, q. d. Ad vos, o optimates, qui estis capita Israelis, mihi est sermo. Ita S. Hieronymus. Aut *gentium*, id est gentilium, quia inter eos eminebat Israel, ejusque optimates, tanquam populus a Deo electus, deique quasi primogenitus. Unde Arias vertit: *Notatissimi primitivae gentium!* Tigurina: *Celebratissimi primitiarum gentium.* Secundo, alii haec referunt non ad optimates, sed ad montes Sionis et Samariae, q. d. *Vae opulentis habitantibus in montibus Sionis et Samariae!* qui montes nominati et famosi fuerunt ab olim, puta *ab initio gentium*, ut vertit Pagninus, vel, ut Vatablus, a *primitivis gentium*, q. d. Montes isti nominati sunt a gentibus nobilissimis; in Sion enim et in Samaria habitantur Chananei, Amorrhaei, Jebusaei, aliaque gentes usque ad septem, antiquitate et robore celebres, q. d. Ego D. s. dedi vobis, o Hebraei, montes hosce inclytos, expulsi propter vos priores incolas robustos et celebres, cur ego iis contra me ad luxum, lasciviam et idololatriam superbe et ingratis abusi estis? Hinc sensus favent sequentia, ubi Sion et Samariam confert et praefert Chalaneam, Emath, Geth, aliusque insignibus gentium urbibus. Tertio, Chaldaeus vertit: *Vae opulentis, etc., qui imponunt nomen filiiis suis secundum nomen filiorum gentium!* quasi hic taxentur Judaei, quod filiiis suis imponunt nomina gentium gentium vicinarum, puta Egyptiorum, Ty-